242

IN LAVDEM LACRYMARVM PANEGYRICVS

Habitus

A IO. BAPTISTA RAGGIO GENVEN.

Sem. Rom. Conuict.

IN ROMANO COLLEGIO SOC. IESV.



ROMÆ,

Ex Typographia Ludouici Grignani. M. DC. XXXIV.

SVPERIORVM PERMISSV.

DE RADIO LACRYMOSO, ET LACRYMIS RADIOSIS,

EPIGRAM. N.N.



SI radij vultus oculi sunt: Lacryma quid ni
Quæ fluit ex oculo, fluxerit è RADIO?
Dant Lacrymas radiosa poli quoque lumina: quando
Contristat frontem Delius ipse suam.
Sed Cœli Lacrymæ Terræ sunt semina risus;
Astra soli redolent: ætheris astra dolent.
Floruit in risum RADII *sic Lacryma nostri;*
Planctum credideras surgere? plausus erat!
Lac animæ Lacrymas, teneriq. alimenta doloris
Dum pupilla parit, facta papilla premit.
O Lacrymæ, ò risus, ò pabula, dulce futurum est
Viuendo Lacrymari, & Lacrymando mori.
Dum radiãt Lacrymæ, & RADIVS *Lacrymatur: an instat*
Splendidum in immenso lumine naufragium.

DE
RADIO LACRYMOSO,
ET
LACRYMIS RADIOSIS,
EPIGRAM. N.N.

SI radij [illegible] sunt Lacrymae quid ni
Quae [illegible] RADIOS?
Dant Lacrymas [illegible]: quando
[illegible]
[illegible]

PANEGYRICVS.



ENIM verò salubri consilio Christiani legislatores Imperij decreuerunt (Auditores) vt verni tẽporis redeunte, ac radiante lætitia, dum Cœlum, & terra quodammodo rident communis luctus, ac dolor ab hominibus renouetur. Scilicet ad risum, & gaudium nimis prona mortalitas, tunc præcipuè debuit ad lugendum impelli, cum adest illecebra quædam maior, & potentior suadela ridendi. Naturæ aduersariam semper, & victricem exhibet sese cœlestis gratia; dumq. illa effusè lætatur renascentem quodammodo vitam corporum, hæc vbertim deflet mortem animorum. An potiùs æquissimum esse dicam, vt quo tẽpore nouæ truduntur è vitis palmitibus gẽmæ suas quoque humanus oculus gemmas emittat; dum mitioris tepore solis resolutæ niues tabescũt, etiam humani cordis glacies doloris æstu tepafacta in Lacrymas eliquetur; dum auiculæ anteà taciturnæ in syluis dulciter gemere incipiunt, homines quoque è lethali silentio in salutares gemitus, & la-

menta prorumpant. Dum terra tempestiuo rigata rore flores fundit, ac nutrit, mortalium animus rorulento fletu profusus in omnem virtutũ colorem refloreſcat. Si demum ver aſsiduis imbribus madere conſueuit; quidni cœleſtibus cũ imbribus, Lacrymæ terreſtres nẽpe pluuiæ coniungantur? quo igitur tempore Lacrymæ, aut regnant, aut in amiſſum Cœli regnum nos fœliciſsimè reſtituunt, æquum profectò ſit Lacrymis ipſis ſplendidum Panegyricum dicere, earumq. in humanam vitam beneficia largè, vt Lacrymarum vbertatem decet; dilaudare.

De hominum vita Lacrymas optimè mereri indè primum conſtat, quòd nobis in ipſo vitæ limine omni alio ſubſidio deſtitutis aduerſus omnes iniurias fletus ipſe pro munimento eſt. Nec alio ferè viatico inſtructi vitam hanc, aut potiùs viam ad mortem ingredimur, quam liquido, vt ità dicam, argento, & quaſi numeratis nummulis Lacrymarũ. Quod ſi nutricis lac ſtatim in prõptu non eſſet ad tenerrimæ ætatis alimentũ, ipſæ, credo, Lacrymæ lactis vices obirent; atque ad alendam vitam ab oculis, tanquam ab vberibus in infantium ora profluerent. Vnus ex omni memoria Zoroaſtes Bactrianorum Rex primã vitæ diem non à Lacrymis, ſed à riſu eſt auſpicatus. Fleuiſſet ille, non riſiſſet miſerrimę vitę primordia, ſi conſtantiori cerebro à Natura inſtructus

in

in lucem prodijsset. At huic infanti cerebrum adeò instabile, infirmumq; fuisse ferunt, vt palpitaret semper, admotamq; capiti manũ vehemẽti agitatione foras etiam prorumpente repelleret. Quid ergò mirum sit, si vix natus risum in ore non cõtinuit, qui cerebrum ipsum in capite continere vix potuit? An potius verã daturus Tragędiam regalis histrio à risu cœpit, vt tandem in Lacrymas desineret; vel in bello cæsus, vel fulmine consumptus, hoc est coelestem per Machinam, vt tragędum insignem decuit, vitali nodo resolutus. Neque verò ætatibus reliquis minùs quam infantiæ fidelem operam Lacrymæ præstant. Bonæ scilicet comites toto vitæ decursu ipsæ quoque, quoties opus est ex oculis decurrunt, & quidem ex amicitiæ legibus in vtrãque paratæ fortunã, nempè tùm ad doloris leuamentum, tùm ad gaudij condimentum. Vt dubitari posſit mœroris ne potius, an lætitiæ filiæ Lacrymæ nuncupandæ sint; sanè prodigio similis res ista videtur, quòd videlicet cum animus gaudio diffluit, hoc est cum maximè fluidum, ac serenum est mentis Cœlũ, densus ex oculis imber exoriatur; quod Roscidus Lacrymarum humor non tantùm in media doloris nocte, verùm etiam in ipso lætitiæ meridie in sinum cadat; quòd turbulenta fletus tempestate iactetur animus, cum iam in portu est gaudiorũ; quòd voluptatis dulcedo,

Lacrymarum amaritudine reſperſa magis, ma-
giſq. dulceſcat; quòd in vno eodemq. vultu ſimul, & Lacrymæ rideant, & riſus Lacrymetur. Quamquam quid miramur Lacrymas è gaudio naſci, cum ipſum quoque mȩrorem in gaudium commutare conſueuerint. An non veriſsimè cecinit ille:

Eſt quædam flere voluptas.

præſertim, vt Plinij Conſulis Oraculum adſcribam, ſi in Amici ſinu defleas, apud quem Lacrymis tuis, vel laus ſit parata, vel venia. O Lacrymas, ò nectar ſuauiſsimum oculorum, ò mellea dolentium ſolatia, ò mœroris dulce naufragium, ò gratum ærumnoſo cordi diluuium, quo angores tantùm, & curæ feliciter demerguntur. Quid ſolertes naturalium prodigiorum indagatores commemorãt fontem illum apud Troglodytas ſolis nomine illuſtrem, aquis intempeſta nocte amaris, meridie dulcibus manantem?

Fontem ego admiror Lacrymarum nobiliori miraculo vno eodemq. tempore amarum ſimul, ac dulcem, imò dulcedinem ab ipſa amaritie trahentem. Neque ſolis nomen quiſquam denegauerit huic fonti, qui non vno tantùm à ſole, ſed duobus ab oculis duobus velut à ſolibus originem ducit.

Sed parum egiſſet Natura, ſi Lacrymas voluptatis tantùm illecebras eſſe voluiſſet; maius, ac

præ-

præſtantius beneficium à fletu in nos redundat.
Nempè honoris argumenta, & gloriæ teſtimonia certiſsima Lacrymæ ſunt. Quid enim cõtingere poteſt homini glorioſiùs, quam vt ſiuè intẽpeſtiua, ſiuè matura mors eum abſtulerit, vberrimis omnium Lacrymis lugeatur? Specioſum ſepulchrum illud meritò dixeris, quòd non tàm pretioſis lapidum cruſtis, quàm copioſis Lacrymarum gemmis decoratur. Funebris pompa luculentius à ſuſpirijs, ac fletibus, quam à tędis, ac facibus exardeſcit. Quam incertus virtutis index eſt plauſus viuenti datus, tam certum glorię monumentum eſt planctus, cum mortuo exhibetur. Lacrymæ quem dolent mortuum, aut declarãt, aut efficiunt immortalem. Titum Veſpaſianum extinctũ Roma amariſsimè fleuit. Nunquã certiùs eum delicias humani generis fuiſſe declarauit, quam cum in eius tumulum Lacrymas, hoc eſt mœſti cordis delicias abundè congeſsit. Germanicũ Cęſarem non modo Romani Ciues, ſed etiam Barbari Reges, & implacabiles hoſtes complorarunt. Mirùm ſanè: quorum ille viuens ſanguinem in bello haurire optauerat, hi ei mortuo Lacrymas, hoc eſt ſanguinem, qui in pace funditur, ſpontè obtulerunt. Phætontis, vt Fabulæ narrant, ſepulchrũ, quid nobilitauit magis quã ſororũ Lacrymæ, quæ in electra cõuerſæ ſunt, vt indè conſtaret, quã ſplendidè funeratus

ſit

fuerint pretiosæ. Carthaginis euersæ cineres, & insepultam sepulturam euersor ipse Africanus Scipio collacrimauit. Quanta fuerit Carthago, dum floruit, luculentius hisce Lacrymis Scipio, quam aut atramento Liuius, aut hostili sanguine Annibal exarauit. Amorem verò non erga defunctos tantùm, sed in viuentes adhuc amicos, quæ vultus notæ testantur euidẽtius, quam Lacrymę? Amantium oculos imbriferos esse Græcus Poeta lepidè pronunciauit. Hoc imbre Amor ipse pluuius ex oculorũ christallino Cœlo non in telluris, sed in amici sinum, & cor sese profũdit. In humano corpore duplex oculis munus natura impertiuit videndi alterum, alterum Lacrymãdi. Amor vno priuatus munere, nempè quia cęcus vim oculorũ omnẽ in fletũ conuertit.

Alienas calamitates Amor nõ alijs videt oculis, quam Lacrymis. Iure meritò eum amare negaueris, qui ad sua commoda curanda Tyresiæ similis non fuerit, ad aliorum mala Lacrymãda Argo oculatiorẽ sese non exhibuerit. Accipite iam grandius Lacrymarum decus, & præclarius in humanã vitam profectum à luctu emolumentum. Lacrymæ, quis crederet? Sapientiæ ministræ ne dicam an magistræ optimæ sunt. Hæc aqua sub dominatu est, non Neptuni, sed Mineruæ. Testor Dionis vocem illam Oraculo parem;

La-

Lacrymis, inquit, vt plurimum bona aliqua doctrina coniungitur. An non bona doctrina eſt, quæ vitæ citò fugientis breuitatem aſsiduè in memoriam reuocat? Reuocāt Lacrymæ liquorum omnium fugaciſsimæ, quibus, vt ait ille, nihil citiùs exareſcit. Doctrinam meritò nuncupaueris bonam, quæ humanæ incoſtantiam fœlicitatis compertam mortalibus facit. Faciunt Lacrymæ, quas plerumque vertentis fortunæ rota velut è puteo cordis in vultum extrahit, & ipſa fletus aquatica natura, quid aliud, quam inſtabilitatē aquę ingeneratam repreſētat? Quid ea doctrina præclariùs, qua monetur vnuſquiſque, vt ſe ipſum nouerit. Notitiam ſui certiſsimam prębent Lacrymæ, in quibus paruis tanquam in ſpeculis, ſi quis ſuæ fluxionem, & amaritudinem vitę non relegit, hūc nimius proſperitatis fulgor excecauit. Sed nemo vberiorē doctrinam à Lacrymis manare cenſuit, quam Heraclytus, qui quaſi ſapientiam nō tàm legendo, quàm lugēdo addiſci putaret, Lacrymis potiùs, quam paginis euoluendis intentus de quacumque re, vel auribus, vel oculis propoſita egregiè ſe philoſophatū eſſe arbitrabatur, ſi eidem copiosè fuiſſet illacrymatus. Hic verè Academicorū ritu in vtrāque partem diſceptabat, quia ſcilicet vtrique fortunę triſtibus æque, ac lętis ſucceſsibus Lacrymas dabat. Lacrymis vtebatur pro libris, quos verè

ſem-

ſemper præ oculis habebat. In grauiſsimo Philoſophiæ ſtudio aſsiduè deſudabat, ſed pro ſudore, è vultu Lacrymæ prorumpebant. Alij à naufragio ad Philoſophiam ſe contulerunt, hic in perpetuo exundãtium Lacrymarum quaſi naufragio ſolitus erat quietiſsimè philoſophari. Præceptorem audiuiſſe Philoſophum nullũ dicitur; Nec miror: Lacrymas quippè habuit optimæ Philoſophiæ præceptrices: cognomento Scotinos, hoc eſſe tenebroſus eſt appellatus. Quidni perpetua pluuia, quæ ex ipſius oculis defluebat obſcuritatem afferret? Eius ſcripta, aiebat Socrates, Delio Natatore indigere, ità ſanè: Natandum erat in eius doctrina, quæ tota conſtabat ex Lacrymis. Fabulã primi hominis à Prometheo formati ex luto, non aqua, ſed Lacrymis macerato veriſimilem fecit Heraclytus; Lacrymis enim compactus eſſe debuit ille, cuius vniuerſa vita non tàm annis fluxit, quàm Lacrymis, qui horas numerare ſemper potuit ad ſuarum ſtillicidium Lacrymarum.

Verùm ſapientes, & præclaræ doctrinæ magiſtras eſſe Lacrymas nõ ità difficile fuerit ſuadere, cum ex humano vultu, tanquam è ſuggeſto mortalium erudire vitam mortis documentis perpetuis videantur. Minùs fortaſsè vera laus illa videbitur, quam tamen eſſe veriſsimam liquido demonſtrabo, nimium Lacrymas, rem

mol-

mollem, fluxam, imbecillam, ac prorſus imbellẽ, violentas tamen eſſe, feroces, ac planè bellicoſas. Quis iracundiæ ardor hac aqua nõ extinguitur? Quod auctoritatis grauiſsimæ pondus hac vndã non ſubmergitur? Cuius pectoris ſaxeam duritiem hęc gutta non labefactat? Omnem humani cordis arcem natura fecit dulci Lacrymarum tormento penetrabilem. Minùs ferit emiſſa ex Aenea fiſtula ferrearum grando pilarum quam Laeuoluti, è mœſtis oculis cadentium globuli Lacrymarum. Terreſtre ſimul, ac maritimum bellum Lacrymę importãt. Niſi ſiccis oculis hoſtis cadat, impetum vultus Lacrymãtis, & quaſi è mari pugnantis nõ ſuſtinebit. Si lẽtà obſidione agendum ſit, Lacrymæ ſine ſtrepitũ fluentes in orbem agglomerant ſeſe, animumq. circumſidẽt. Si ſubita, & vehementi oppugnatione opus fuerit, præcipites effunduntur, vt in cor inſiliant, certam ab ipſa ſtrage Victoriam reportaturæ. Quid recenſeam antiqua illa, & illuſtria victricium Lacrymarum Trophea? Romanos, ac Sabinos fœminarum Lacrymis ſtabili pace in vnã gentem, & nomen permixtos; Amabilis illa cordium mixtura, quo alio inſtrumento aptius fieret, quam validiſsimo glutino Lacrymarũ? Coriolanum vxoris, & matris fletu ex hoſte in Ciuẽ pia metamorphoſi mutatum. Pietas Magia ſaluberrima eum maternis recoxit in Lacrymis.

Cleo-

Cleopatram flentem paterno Regno à Cæsare restitutam, pretium regni satis amplum obtulerat, Lacrymas, cordium Margaritas. Trizum Tyrannum, vt refert Elianus, conspiratione, ex aspectu Lacrymantis Ciuis facta, à Populo trucidatum. Gladijs præ Tyranni metu diù reconditis, & rubiginosis, Lacrymę rubiginem absterserunt, & ad cotem doloris exacuerunt.

Possem alias cōplures Lacrymarum victorias in medium afferre. Sed postrema orationis pars, ac triumphus vltimus, idemq; præstantissimus ijs debetur Lacrymis, quas ab oculis non humanus, sed Diuinus dolor atque amor educit. Hic verò exordienda laudatio rursus esset si vellem totum cœlestium Lacrymarum fontem aperire. Vnum ergò tantùm proponam specimen triumphantium Lacrymarum, in quo tamen numerare licebit plures palmas quam guttas, quot Lacrymas, tot triumphos. Vocem meam non cogitatio solùm, sed plausus quoque vester iam præuertit. Illam expectatis, vt nominem, illam, inquam, fœminam luctu, quam nomine notiorem; illam sacrarum Lacrymarū ideam Magdalenam, mulierem, expugnato diuino corde verissimè thiumphalem. Armauit hæc Heroina sagacissima pietate dolorē suum, eumq; glorioso bello præfecit Ducem. Centuriauit suspiria, ordinauit lamenta, pugnam gemitibus indixit, Ca-

pilla-